



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mechlinia Illustrata Luce Miraculorum S. Francisci Xaverii  
Orbis Utriusque Solis Ac Thaumaturgi Chronicis Distichis  
evulgata Anno M.D.C.LXVI.**

**Grumsel, Gérard**

**Mechliniae, 1666**

[§. 4.]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11918**

Judecus Houbraken Ecclesiæ Cath. Antverpiensis Ca-  
nonicus, & Episcopatus Sylvæducensis vacantis Vica-  
rius Generalis, omnibus has visuris salutē in Domino.

**C**um muneris nobis impositi obligatio exigat singularem à  
nobis haberi rationem eorum, quæ ad Orthodoxæ fidei  
confirmationem, præsertim in locis Heterodoxorum Domi-  
nio subiectis, per Sanctorum suorum invocationem & intercessio-  
nem patrare dignatur Deus; palam facimus, quod, postquam se in  
ea latè extendit non tantum fama Miraculorum juxta approba-  
tionem Illust. & Rev. Domini Archi-Episcopi Mechliniensis pa-  
tratorum ad Reliquias S. Patris FRANCISCI XAVERII *Mechli-*  
*næ* in templo Societatis JESU publicæ venerationi expositas: sed  
etiam, ut ad nos fuit relatum, virtus ipsa dictarum Reliquiarum  
operante Deo multis salutarium; nominatim inquire curaverimus  
in sanitatem, quam voto ad præfasas Reliquias directo *Sylvæducis*  
obtinuit *Maria N.* uxor civis Sylvæducensis ab ægritudine, quæ  
per sesquiannum juxta judicium Medicorum incurabili, & in per-  
fectam paralysim degeneraturâ laboraverat, subito vindicata:  
Commissarios ad id constituimus Ecclesiasticos viros spectatæ  
virtutis, & doctrinæ, minimèque suspectos, qui exæcto prius jura-  
mento acceptas legitimè informationes legitimis tabulis, à se quo-  
que subscriptis, ad nos transmiserunt cum expressione nomi-  
num, & mulieris sanatæ, & Doctorum, ac Chirurgi deponentium,  
quæ hic iustis de causis subticemus. Et cum in præsentiarum nec  
necessitas, nec commoditas sit omnia secundum S. Concilii Tri-  
dentini placita ulterius discutiendi, nihil aliud modo decernentes,  
declaramus piè, & prudenter dictum sanitatis Beneficium à præfa-  
ta Maria obtentum S. FRANCISCI XAVERII apud Deum in  
intercessioni posse adscribi, & ut tale vulgari in jurata deponentium  
fide, simulque hortamur universos, Catholicos quidem ut fidu-  
ciam suam in Deo, ejusque Sanctis, & nominatim S. FRANCIS-  
CI XAVERII viri planè Apostolici patrocinio collocare utiliter  
pergant; alios verò, ne claræ veritatis soli oculos claudant, sed  
cognos-

cognoscant & ipsi hodie magnalia Dei, quæ facit in medio eorum  
ad invocationem S. Servi sui. In quorum fidem præsentes dedi-  
mus Antverpiæ sub manus propriæ signaturâ, & vicariatus nostri  
Sigillo die xxx. Octobris, Anno M. DC. LXII.

*Locus + Sigilli.*

J. HOUBRAKEN

S. 5.

**A**mplissimus ac Reverendus Adm. Dominus D. Oliverius D'Esse  
Vicarius Generalis Episcopatus Midensis d' Lunensis vacan-  
tis in Hibernia, postquam diligenter inquisivisset in modum, quo sa-  
natus est Dublini Guilielmus Baron ab incurabili ulcere ad cultum  
S. FANCISCI XAVERII, usumque olei Xaverianæ lampadis Me-  
chliniæ ad miraculosas Reliquias ardantis, eumq[ue] super eo per se ipse,  
aliosque, qui diu noctuq[ue] ægro adfuerant, examinasset explorataque ba-  
beret Doctorum Medicorum de eo sensa, judicavit d' iudicare se literis con-  
scriptis testificatus est, illum post Deum ac B. Virginem S. FRANCIS-  
CI XAVERII intercessioni esse adscribendum, d' ut talem vulgan-  
dum, prout patet ex authenticis ejus tabulis confectis Dublini 12. Junii  
1665.

Idem censuit de liberatione Pauli Aylward ab Asthmate, &  
uxoris ejus à profluvio sanguinis, ac Catharinæ Gall ab acuta Para-  
lysi Watersfordiæ impetratâ, ut constat ex literis Dublino datis 25.  
Januarii 1666.